



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Sodalitatis B. Mariae Virginis. siue Exercitium Spirituale Christianae Pietatis

Véron, François

Coloniae Agrippinae, 1505 [i. e. 1605]

5. Documenta ad benè confitendum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46577)

PARS QUINTA.

*Observationes, & documenta ad bene,
utiliterq; instituendam Con-
fessionem.*

1. **A**NTE Confessionem, necessarium tempus deligendum est, ad sua peccata animo repetenda; præsertim si pridem Confessionis Sacramentum non obierit poenitens: eam propterea suscipiat in hac re curam quam suscipere solent homines in negotio aliquo magni admodum ponderis. Si quod enim mortale peccatum per incuriam ac negligentiam omittitur, confessio nulla est; quod pauci tamen sciunt vel considerant.
2. Mortalium peccatorum sigillatim exprimendus est numerus, alioqui confessio non esset integra; & eo quidem quo licet modo; ut si dicatur quantum temporis in frequentatione eiusdem peccati decursum sit; quoties per diem, vel hebdomadam, vel mensem solitus fuerit peccatum illud repetere; vel saltem, si poenitenti stata fuerit consuetudo in id toties decidendi, quoties sese offerret occasio.
3. Explicandæ sunt peccatorum circumstantiæ; ut si furatus sit alio aliquo malo fine, ut puta occidendi, inebriandi, fornicandi, &c.

di, &c. Si concupiuit mulieres coniugatas, viduas, virgines, &c. Si peccauerit in templo, sacrove loco. Si mala aliqua voluntate alium induxerit ad peccandum. Si sollicitauit coniugem suam ad peccatum. Si offenderit Deum in præsentia alterius, & cum scandalo; vt si prohibito die carnes comederit, cum vir sit auctoritatis alicuius, vel id genus alia admiserit. Si votū fecerit non iurandi, fornicandi, &c.

4. Explicato numero, & circumstantijs peccatorum, sufficit deinceps confiteri peccati speciem, citra historię enarrationem; vt si furatus sit, iurauerit, &c. dicere sufficit, centies furatus sum, iuravi, occidere volui, &c. Quocirca necesse non est particulatim narrare peccati modos, cum sit satis dicere: Adulterium perpetraui toties; toties furatus sum rem notabilem. Tactus impudicos toties admisi cum eo personarum genere, non referendo qua id ratione, modo fecerit. Si verba lasciuia proulerit, ea speciatim non referat, sed dicat, verbis vusus sum turpibus hoc fine, hac intentione. Si de Cogitationibus sermo est, dicendum; Consensum præbui turpi & venereæ cogitationi toties, exprimendo tamen cogitationis speciem.

5. Sciendum est cogitationes in materia peccati mortales esse mortales, si ijs homo

consentiat, aut ijs sese vult oblectare, etiam si eas externo opere nolit explere. In quod solent vitiosi homines facile labi, & quicumque creaturam aliquam inordinatè amant.

6. Pœnitens caueat peccata sua excusare, aut ea supra veritatem augere; neq; id pro certo confirmet, de quo ambigit; neq; certum tanquam dubium referat.

7. Caueat etiam ne quem in Confessione dedecore vel infamia afficiat; quapropter nunquam nominanda est in Confessione persona, cum qua peccauit.

8. Curet sedulò fidelem & bonum animæ suæ medicum providere; & quod faceret ad succurrendum malè affecto corpori, hoc ipsum, imò amplius, animæ causa, cuius salus longè potior salute corporis, faciat. Confessarium enim ignoratè quærere, est quodammodò certum sibi ducem ad infernum quærere. Quam in sententiâ doctor celebris Petrus Damianus: Cum, inquit, ad pœnitentiam recipere te vis, delige tibi confessorem bonum, qui tibi refugium sit in tuis tentationibus, Deum in eo tibi proponendo. Eum ubi delegeris, alterum non accedes sine eius licentiâ. Et Origenes quodam loco: Considera attentè cui debeas peccata tua confiteri: prospice animæ tuę de bono medico, qui norit infirma

ri-cum infirmo, flere cum flente, compati
patientibus; & si medicus est expertus & mise-
ricors, eius consilia exequere, & quas tibi
proposuerit potiones & pharmaca, excipe,
quantumvis amara videantur.

PARS SEXTA.

*Examen in Præcepta Decalogi, in quibus
comprehensa sunt omnes alie mate-
ria, in quibus peccari potest morta-
liter.*

**Circa I. Præceptum, quod est,
Colere Deum super omnia.**

Circa Fidem.

AN crediderit omnia, quæ sancta Ro-
mana Ecclesia credit, vel certè habue-
rit opinionem in aliqua re fidei Ro-
manæ contrariam?

An verbis, vel signis externis infideli-
tatem aliquam vel hæresim prodiderit, vel
probauerit?

An fuerit nimium curiosus in inuesti-
gandis rebus Fidei, & an de aliquo Fidei ar-
ticulo dubitauerit?

An apud se habuerit, vel legerit libros
hæreticorum, aliosve libros ab Ecclesia
prohibitos?